



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

meriti præmium posebat. Vicit denique, sed ex difficili, tam periculosi temporis conflictu adeò redijt consternatus, vt adstantibus sibi necessarijs supplicarit, si quid præterea simile incidisset, occinere sibi magnis vocibus pergerent, & exprobare: Ignari peccator, recense in animo, quantorum sceleram, quot pœnas quantasque debeas. Caue tibi quicquam mercedis aeternæ arroges; inferos cogita, & pudeat potius te toties illos esse commertum.

XIII.

Vt dura & multiplex Manresa fuerit Ignatij periclitatio, nulla tamen capitalior scrupulis, nulla molestior. Sic Deo placitum, ijs vt ab damone vexaretur, opplente viri Dei mentem, subruentēque dubitationibus infinitis de confessione obita Monferrati, etsi nihil in ea absolutissima diligentia, nihil ad sensum doloris omisisset. In ijs etiam quæcumque agenda incidere, graue aliquod scelus verebatur; ad hæc liquida illæ interioris hominis voluptates aruerant, mente perplexis jactationibus perturbata, nec iam idonea diuinis haustibus quos olim serena de cælo traxerat; angebatur quin imo tunc grauius, cum ad diuinorum cogitationem animum applicaret: & hæc illi diurna nocturnaue occupatio, secum litigate, rixari, perplexari; in hoc, & illo, an ab se aliquid peccaretur, aut esset peccatum; & de pridem commissis, num quid resideret confessione expiandum. Vbi quanto satagebat magis vt extricaret sese, tãtò inuoluebat, implicabatque molestius. Restabat vna afflictissimo spes, qua se verbo vno perlucandum putabat: si, quem habebat animæ ductorem, præterita omnia iuberet obliuione sepelire, nec esse de ijs magis sollicitum quàm si pridè natus esset. Verùm neque id vnquam Confessario succurrit vt iuberet, nec scrupuloso pœnitenti, vt de eo illum consuleret. Ac vetabatur quidem aurem scrupulis dare; sed quid foret ab ipso scrupuli dammandum, hoc verò scrupulorum nouam materiam præbebat. Præterquàm quod, ita malè affectis, etiam quilibet leuissimus scrupulus, pro re saltè dubia habetur. Ita nihil se votis supplicibus, nihil assiduitate lacrymarum iuari sentiens, auersum ab se cogitabat Deum, & (quod solet ex ijs angustiis confici) velle se Deum æternum perdere. Cuiusmodi sit hoc tormenti genus, nisi expertus, intelliget nemo. Cilicia, verbera, catenæ, ieiunia, nuditas, & quantum pœnarum est quod sponte suscipitur, vt corpus macerat vexando, sic iucundè animum solatur. Sed, hinc Deum quidem ardentè amare, velle fidem illi castam, inflexamque seruare; & anhelare ad fruendum illum votis ingentibus; hinc autem sibi perpetuo suspectum offensi numinis viuere; imò habere veluti persuasum te Deo ac tua non placere, contemni; odio esse verba omnia apud illum tua, coniectum quemlibet oculorum, criminis esse alicuius rea. Hæc verò carnificina est, quæ nec maiorem inueniat nec parem; & cuius vna tantum hora perlucens multorum dierum pijs cruciatibus commutetur. Hac sua demones tam dira infestatione, tanquam telovulnus multiplex vibrabant. Id enim primum ab ijs agebatur vt confusione anxiarum cogitationum sanctam eius quietem sus deque verterent; deinde rigidioris quam susceperat vitæ cursum, ipsi propterea repræsentarent exegrandum.

crandum, quod pluribus animi quam corporis supplicijs horreret, ac prope salutis in tuto ponendæ, hominem duceret in æternum discrimen: ad hæc ut tranquillâ Dei fiduciâ, & tenero in illum filij amore exuerent, quem experiuntur qui liberalem Deo seruitutem nauant; sed hoc mouebant potissimum damnati spiritus, ut tyronem vrgerent in vltimam desperationem, qua interiori lanienæ tam crudeli, ferendæ vitam iam imparem per se abrumperet; ad eodẽ vt omnia afflictissimus Ignatij animus sursum deorsum auaracernebat cuiusuis solatij, quo prohiberetur interire. Patres quidem S. Domini Manresæ acerbum dolorem miserati, cœnobio illum exceperunt, sed loco sperati leuaminis, tam sæuo illic mœrore correptus est, vt versus cellulæ fenestram protrudi se quodammodo violenter ad præcipitium sentiret. Totus ibat in lacrymas, & rugitus, & clamores in cœlum (vt postmodum retulit) ad Deum vociferans, inde vt aliquid sibi opis adesset, quam frustra ab hominibus expectaret. Hic illi cum fortè rediisset quod olim legerat virum quendam sanctum, vbi quod diu incensis precibus quaesierat, minime impetrasset, decreuisse tamdiu cibo abstinere, donec id à Deo exorasset, si minus meritis annuente, afflicti saltem miserente. Visa Ignatio pia vis Deo adhibenda, nam etsi extremum remedij id erat, sed supremis adhibebatur malis. Nec dubitauit, mite pectus amantissimi patris, labore infelicissimi filij, tactum iri, nec passurum diu languere prostratum, sed pie indulturum, quod preces, & lacrymæ emereri iure non poterant. Ergo in ediam sabbato inchoatam in sequens sabbatum producit, ne panis quidem micâ, vel aquæ stillâ per oëtiduum admisâ, quod in exanguis, & exhausto perpeffionibus homine, nihilque propterea de vfitatis vexationibus remittente, videri possit instar miraculi. Et progressurus erat vltra has etiam ieiunij metas, nisi Confessarius rem edoctus, pergere vetuisset, eoque ipso die iussisset de more refici. Tam insolens ratio diuinæ expugnandæ bonitatis, haud scio an confidentius vsurpata, an obedientius omisâ, primam Ignatio quietem, & conscientia serenum reduxit; iamque se victorem gaudebat, cum lapsa vix biduo, improuisa denuo scrupulorum, diffidentia, tristitia, desperationis tanta est simul coorta tempestas, vt nec ipsis damnatorum pœnis mitior videretur. Fuit quippe nobiscum erudiendus de re grauissima, & Dei famulis pernecessaria; non esse nobis Dei voluntatem vi, & machinis impetendam, quasi aut non videat laborantes, aut surdam aurem nostris vocibus præbeat, aut sit denique ita durus, vt nisi desperatis nostris & lethalibus casibus ad ferendam opem non emolliatur. Prima sit nobis & vltima volendi regula, quod Deus voluerit. Egere aut affluere cœlestibus gaudijs; nubilam, aut serenam; placidam, aut tentamentis exercitam duci à nobis vitam Deo placuerit, promiscuè nobis accipiendum est, si extra Deum nihil quaerimus. Ad hoc sanè profint intimi cruciatus vt nostram Dei fiduciam accendant, dum quod illi gratissimum fuerit ex eo poscimus, liberationem, aut tolerantiam: At ne extra fines diuini arbitrij, vel transuerso vngue nos impellant. Cœterum breui secundus hic turbo posuit,

nempe admonendo potius quam plectendo Ignatio inmissus. Suum enim menti tranquillum cœlum, clarumque rediit, sua alacritas, etiam priore vberioris enim Deo nos fœneratò refundere, quod in experimentum subduxerat. Præter hæc Deus in hoc discipulo magistrum effingens animorum, primam illi rerum magistrum dedit experientiam, quarum disciplinam aliis erat traditurus. Ex iis profectò tam diuersis, & oppositis animæ vicibus, irriguæ & arentis; anxie & securæ, tristis & hilaris, tam peritus euasit alternantium motuum, quibus diuina bonitas suos agit, vt cum instituendi essent de iis alij, non aliundè exemplum ducere quam ex se ipso oporteret. Quod quidem fecisse sua quadam epistola videtur documentis referta sapientissimis, quibus Monialem Barcinone agentem Venetiis scribens, sic inter alia consolatur. ¶ Duplici nos via instituit Deus, imò alterâ quidem ipse per sese, alterâ instrui per alium sinit. Constat illa interiore sensu miræ voluptatis; quæ vbi se cordi affuderit, omnem ex eo tumultum abigit, & Dei amore plenius occupatum, in Deum totum rapit. Splendor verò quem secum inuehit, mentem corroborat ad pernoscenda quæ detegit arcana complura, & qua tuto, qua periculosè virtutis itinera capebantur. Iam eiusmodi est quem incendit ardor, nihil vt occurrat tam laboriosum, quod non vertat consolationi; nullus sudor adèd molestus, quin pro quiete sit: nullum pondus graue, nullæ non suauis pœnitentium ærumnæ. At enim hæc mentis solatia non habent fixam in nobis sedem, temporaria sunt, tenentque sibi diuino arbitratu descriptas periodos, cuius nutu eunt, & redeunt, nostro tamen vtrunque compendio. Abscedenti porrò diuinæ consolationi, quasi aditu laxato, suos dæmon inducit atræ bilis affectus satellites, & tristitiam omni leuaminis defectam luce, modisque nos agitat diuino mori planè contrariis; hoc ardens scilicet vt boni studium in nobis extinguat, & diuini obsequij desiderio nos auellat. Mœrore itaque profundo nos opprimit, cuius haud rarò nec ipsi qui mœremus, causam deprehendere sat scimus: precatio sicca, & sterilis: contemplationi nullus sapor: de Deo loqui, & audire, ratio plena, & odiosa res. Accedunt præterea de nobis ipsis adèd turbulentæ cogitationum imagines, vt vnum iam lubeat illacrymati nobis, & ingemiscere, velut prorsus à Deo extorribus, destitutis, penitusque abscissis; nihil ipsi eorum quæcumque egimus, probari; quæ acturi sumus in posterum, nulli bono fore. Hinc deserentis seipsum animi abjectæ vires, hinc dissidentia, & desperatio, & culpæ cuiuslibet criminosa & imaginosa taxatio; cuiusvis autem molestiæ animum prægrauantis fixa opinio, tanquam nullâ sit curatione sanabilis. Ad extremum tamen neque ista interuallis suis caret vexatio; quare alteri opem, ab altera nos accersere oportet; vt læti, modestè cogitemus quàm subito mœror in alios nos mutet; mœsti vice versa erigamur, reditura spe consolationis, & caliginosæ tristitiæ, ad primos illius radios, reducta luce, dissipandæ:] huc vsque Ignatii literæ. Ex iis autem quæ in se ipsemet expertus competerat, tam peritum in cernendis, curandisque scrupulorum morbis, magistratum est

est adeptus, & in sedandis conscientiae iactationibus, tam ceram manum & habilem, ut quem is postea non sanasset, nullâ arte sanandus crederetur. Scripsit etiam generatim aliquot de iis regulas, quarum solida, & arcana doctrina, potest pio lectori magno vsui esse. Sunt autem quæ sequuntur.

Primum, vulgò scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrii motu & iudicio, aliquid concludimus peccatum esse, cum peccatum non sit, veluti si quis animaduertens se crucem, ex paleis humi figuratam, in transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus propriè, sed iudicium potiùs erroneum vocari debet.

Secundum, scrupulus propriè dicendus est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecus, peccati admissi suspicio. Et quamuis altera ex parte veniat in mentem, nos minimè peccasse; ambiguitatem tamen quandam, atque animi perturbationem sentimus, à Dæmone videlicet obtrusam.

Tertium, prior scrupuli species, impropriè sic dicti, prorsus abhorrenda est ut erroris plena. Posterior verò, per tempus aliquod (dum præsertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem, non parum iuuat, cum eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud Diui Gregorij: *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

Quartum, callidè obseruare solet inimicus, qualisnam sit animæ cuiusvis conscientia, crassiorne, an delicatior. Et si quam inuenit delicatam, multo quoque delicatorem efficere nititur, & in extremum quendam redigere anxietatis gradum, ut sic miserè turbatam, à profectu spirituali tandem deiciat. Putà, si animam nouerit, quæ peccato nulli consentiat, mortali, siue veniali, imò ne vimbram quidem (ut sic dicamus) voluntarij peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi objicere, eò satagi adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod reuera non est, cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatione repentina. Crassam è diuerso animam, seu conscientiam, reddere crassiorem studet, ut, quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curat, ac in dies minus respiciat.

Quintum, ut anima progredi valeat in viâ spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut, si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contra, si dæmon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitæ extremæ vtriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto, & securo statu iugiter manere.

Sexta, quotiescumque homini, dicere, aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ vsu, vel maiorum nostrorum sensu non dissonat, quòdque tendit in Dei gloriam, obuiat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat, aut agat illud propositum, adducta vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucata quadam ratione. Tunc ad Deum eleuanda mens est: sique
appareat.

appareat, ad eius gloriam spectare dictum, aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum recta exit aduersus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum diuo Bernardo: *Nec propter te capi, nec propter te finiam.*

XIV.
Dona singu-
laria Manre-
sa cœlitus in
Ignatium
collata.

Verum fuit mensura donorum quæ Manresæ Deus in Ignatium congeffit haud paulò exaggeratior, quàm arumnarum; licet ingentium, quibus eius patientiam ad purum excoxit. In quibus dignum est admiratione, pulchrum quoddam amoris, Dominum inter seruumque certamen. Nam etsi norat Ignatius, vitæ in sæculo transactæ debere se Deo multas pœnas; eò tamen (quod seni dicere excidit) spectauit nunquam, dum Manresæ fuit, vt quæ tulit, ac fecit imputarentur suis rationibus exarquantis, ac ne lacrymulam quidem misit animo satisfaciendi. Tendebat aliùs, & nobiliore commercio id spirabat vnum vt Deo placeret, honorémque deferret, totumque se illi, agendo, tolerando, ad maiorem ipsius gloriam, holocaustum sacraret. Ex opposito Deus Ignatium visus non est attendere veluti hominem è luto sæculi emersum, multisque nominibus obstructum; sed manu tam larga suis eum bonis cumulare, vt quo familiares suos, & intimos, post diuturni famulatus egregia merita; eò Ignatium statim à principio efferret, vt mox consequenter videbimus. Inprimis itaque cœlestium luminum tantam illi copiam profudit, & mentis aciem in prospectum rerum diuinarum eò vsque prouexit, vt potuerit Lainio suo, asserere plura se vna hora Manresæ orando cognouisse, quam quicquid doctorum est sibi tradere potuissent. Quod eum omnino nescisse oportuit, qui postremis his annis inter argumenta, quibus Exercitia spiritualia abiudicabat ab auctore Ignatio; non esse id opus ascetæ nouitij notauit. Quasi diuinæ scientiæ schola, suorum profectus metiretur, ex diuturnitate potius discendi quàm ex docentis voluntate: hoc profecto si foret, haudquaquam toties senibus, in ea præuenterent iuuenes; nec biduo ante sæculo egressi, plurimis anteirent qui pridem eodem in puluere, sed non iisdem præsijs cæcitiem miserunt. Docente Deo, breui omnia discuntur, & subitum lumen rupta de nube momento fulgurans tam multa detegit, vt multorum annorum meditationi sufficiant. Sunt ista fateor priuata legis beneficia, non tamen idcirco Deo figenda lex; qua nonnullis ea indulgeat, alios profus ab iis arceat. Visus deinde cœlestium dignatus est sæpius Ignatium Deus. Die quadam orans in gradibus quibus in templum S. Dominici ascenditur, vidit nitida in luce aspectus intimi totam ordinatim orbis conditi rationem, & maximè abdita potentiæ, ac sapientiæ creantis arcana introspexit. Sed longè sublimiùs aliàs eodem in templo cum supplicantibus procedens subuectus est, nam alienata ab sensibus mente, & in Deum translata, vidit inexplicabili formarum specie (quas quidem fas est à mortali cognosci) adorabile secretum Augustissimæ Trinitatis, ex quo tantum illi teneritatis animo inhæsit, vt in eius spectaculi suauissima recordatione multos dies flendo transigeret, diuque nullus ipsi de re alia sermo suppeteret. *Quamuis autem*